

jam factæ, ut dixi, sed est ex vi talis causæ, seu actus primi, qualis est prædeterminatio. Ergo talis est ille actus primus, ut nec per voluntatem, nec per ullam aliam causam possit impediri quin ab illa nascatur actus secundus. Ergo illa determinatio, posita in voluntate, vincit potestatem ejus ad resistendum, ac perinde non est in potestate voluntatis sic prædeterminatæ non consentire. Confirmatur maxime, quia implicat contradictionem talem determinationem separari in re ipsa ab actione. Ergo non est potestas in voluntate ad dissentiendum determinationi in se positæ, quia ad id, quod implicat contradictionem, nulla est potestas.

Quare contradictoria dicunt propriamque vocem ignorant, qui dicunt prædeterminationem physicam determinare voluntatem modo a nobis explicato, et cum prædicta infallibilitate, et nihilominus retinere potestatem ad resistendum illi etiam in sensu composito, licet infallibile sit nunquam illi restitutam. Quia non potest voluntas retinere potestatem quam nunquam habuit; nunquam autem habuit voluntas potestatem ad resistendum tali determinationi; resistere enim illi est, illa existente non operari, vel facere ut, illa existente, actio ab illa non procedat; ad hoc autem nulla est potentia, non modo creata, quod est evidens, supposita naturalis determinationis, verum nec increata, quæ ad ea non extenditur quæ contradictionem implicant; tale autem esse dicitur hæc duo copulari, determinationem ad actum esse, et actum non fieri. Dicit potestatem voluntatem quidem hominis non habere potestatem suspendendi actionem post jam habitam determinationem, tamen posse resistere ne illam habeat. Sed hoc neque dicitur consequenter in illa sententia, nec satisfacit. Ratio prioris partis est, quia illa determinatio non pendet immediate a libero arbitrio, cum ab illo non fiat; nec pendet ex præcedente dispositione libera, quia ad illam esset necessaria alia prædeterminatio, ut aliis locis deductum est; ergo neque potest homo resistere ne sibi imprimatur talis prædeterminatio, sed ex sola voluntate Dei hæc pendet. Ratio autem alterius partis est, quia non satis est salvare potentiam resistendi antecedentem seu remotam in infusione determinationis, sed necesse est salvare proximam potentiam resistendi cuiusque gratiæ prævenienti actu jam tangenti; tum quia Concilium Tridentinum id aperte docet; tum etiam quia actus consen-

tiendi voluntatis est liber proxime et formaliter, et non tantum in prævenienti dispositione, seu non resistentia, quæ tactum Dei antecedit. Aliter responderi solet determinationem non auferre potestatem resistendi, quia sub illa determinatione manet potestas voluntatis ad carendum illo actu, si auferatur determinatio, quæ solet dici potestas in sensu diviso. Sed hoc multo minus satisfacere potest, tum quia Concilium Tridentinum aperte loquitur in sensu composito, cum dicit posse hominem dissentire inspirationi statim ac cordi imprimatur; tum etiam quia illa potentia parum refert ad libertatem actus, qui prodit a voluntate sic prædeterminata; quia nec fuit in potestate libera voluntatis recipere vel non recipere determinationem, nec etiam est in potestate ejusdem voluntatis carere determinatione, nisi Deus cesset imprimere illam. Quod si Deus cesset illam imprimere, cessabit etiam voluntas ab opere, non per potentiam liberam resistendi, sed per necessariam impotentiam operandi ex defectu prædeterminationis. Posita ergo necessitate talis prædeterminationis, nulla relinquitur potestas libere resistendi, nec per carentiam actus, nec per effectum contrarii actus seu dissensus.

Ex quibus infertur quinta propositio, actum, scilicet, qui prodit a voluntate sic prædeterminata, non prodire a causa indifferente, ac proinde non esse liberum. Priorem partem recusant concedere defensores physiciæ prædeterminationis, qui vident ex illa evidenter sequi posteriorem. Unde quidam illorum scripsit voluntatem, prædeterminatam a Deo per auxilium efficax, manere indifferentem in actu primo, et cum potestate ad opposita. Quod profecto est mirabile, nam indifferens et determinatum ad unum contradictorie opponuntur. Supponimus enim determinationem talem esse, ut ab actione et actuali ejus exercitio cohiberi non possit; unde etiam ostensum est talem determinationem non relinquere potestatem resistendi; ergo nec indifferentiam relinquit. Præterea vel loquimur de voluntate affecta determinatione, non ut sic affecta, sed considerando voluntatem præcise et secundum se; vel loquimur de illa ut affecta tali prædeterminatione, seu de toto composito ex voluntate et illa prædeterminatione. Prior consideratio est vel impertinens vel insufficientis, quia actus non procedit a voluntate, ut sic præcise spectata et secundum se, sed ut affecta et determinata per talem

impressionem; unde, licet secundum se sit indifferens, jam ut sic affecta non est indifferens. Posterior ergo consideratio est quæ ad rem spectat, et sic totum illud compositum non est indifferens, quia per intrinsecam formam (ut ita me explicem) est determinatum ex se ad unum. Cum enim illud compositum ex voluntate et ex illa entitate sibi impressa constet, voluntas est ut subjectum et materia; illa vero entitas, ut actus et forma; ille vero actus natura sua est intrinsece determinatus ad unum, ut in illa sententia supponitur, et ita dominatur subjecto cui inhæret, ut illum secum trahat ad agendum sine potestate continendi se, aut resistendi illi; unde non solum non participat a subjecto suo indifferentiam, sicut habitus voluntatis illam participare solet, verum potius illud, id est voluntatem, efficacissime et inviolabiliter facit operari. Ergo illa voluntas sic affecta, ut est proxima causa illius actus, non est causa indifferens, sed determinata ad unum.

Ad præterea voluntatem ipsam, secundum se spectatam, et ut ordine naturæ antecedit determinationem, licet indifferens videatur, tamen illa indifferentia si indiget prædeterminatione extrinsecus illata, et complete actum primum, non est illa quæ ad libertatem necessaria est, quia non est indifferentia activa, sed passiva; ad libertatem autem activa indifferentia necessaria est, et passiva non sufficit. Quod declaro in potentia visiva, quæ, secundum se spectata, indifferens est ad videndum et non videndum, non tamen indifferentia activa, sed passiva, qua non obstante, potentia illa libera non est. Quod autem illa potentia indifferentiam aliquam habeat, patet, quia interdum videt, interdum non videt; interdum videt album, aliquando vero nigrum; ergo omnium horum est capax, quod est esse indifferentem ad hæc omnia; tamen illa indifferentia passiva dicitur, quia nascitur ex insufficientia virtutis activæ, quæ supplenda est per aliquid in ea receptum; illo tamen complemento addito, jam potentia, ut sic completa, non est indifferens, sed determinata ad agendum hic et nunc, et hoc vel illud, ideoque nunquam operatur ut potentia indifferens, sed ut determinata ad unum. Sic enim visus per se est indifferens, quia caret lumine et specie; postquam autem per hæc determinatur, necessario prodit in actum. Ita ergo se habet voluntas juxta illam sententiam; nude enim spectata est indifferens, quia nondum est com-

pleta ad agendum; tamen statim ac completur per determinationem, necessario prodit in actum talem, hic et nunc, ad quem prædeterminatur. Est ergo illa indifferentia passiva, et nunquam potentia illa operatur ut indifferens, quia non potest retardare aut impedire impetum determinationis sibi impressæ, sed ejus activitatem inevitabili necessitate comitatur.

Si ergo voluntas, prius natura quam agat, constituitur in statu determinationis formaliter excludentis indifferentiam a causa proxima talis actus, profecto actus non procedit a causa proxima indifferente, sed prædeterminata ad unum. Ergo non procedit a causa libera ut libera, nec ut habente dominium sui actus; ergo actus ille liber non est; nam actio causæ secundæ non est libera vel necessaria simpliciter per habitudinem ad solum Deum, sed per habitudinem ad causam secundam, ut est constans apud omnes. Imo frequentius asserunt Thomistæ quod, licet Deus ageret ex necessitate naturæ, si voluntas humana eandem proprietatem retineret sibi naturalem, actus illius nihilominus esset liber. Unde etiam e contrario, licet Deus libere agat, si ita prævenit voluntatem ut eam in agendo indifferentem non relinquat, profecto actus ab illa proveniens non est liber simpliciter, seu non est liber homini, sed Deo, quod erroneum est, nec a dictis auctoribus admittitur. Neque satis est quod talis actus voluntarius sit homini, nam plus requiritur ut actus sit liber, quam ut sit voluntarius, nam ad voluntarium satis est quod procedat a principio intrinseco, media cognitione; ad liberum vero ulterius requiritur quod sit a principio indifferente. Et ideo amor Beatorum est perfecte voluntarius, non tamen liber; idem ergo est de quocumque actu voluntatis, qui ab illa jam prædeterminata, et non indifferente procedat. Neque hic locum habet distinctio de sensu composito et diviso, quia supponitur quod actus non procedit, imo nec procedere potest a causa ut divisa, id est separata a determinatione, sed tantum ut composita cum illa, et ab ea præventa, ac denique ita prædeterminata ab alio, prius natura quam sua libertate uti possit, ut, tali determinatione recepta, actionem continere non possit.

Ob hanc ergo causam sentimus talem prædeterminationem physicam repugnare libertati actuali voluntatis, seu actionum ejus. Quod verum est, sive illa determinatio sit ali-

qua entitas vel qualitas realiter distincta ab actu voluntatis, et intrinsecum principium ejus (de qua maxime videtur procedere discursus factus), sive sit ipsemet actus voluntatis, ut prius natura a solo Deo impressus per actionem ex natura rei distinctam ab influxu voluntatis, quæ sit principium ejus, inevitabiliter illum inducens; nam similiter ad illam applicantur rationes factæ, cum eadem vel majori vi, ut satis in aliis locis declaratum est. Et in hoc sensu dixi, in libris de Auxiliis, non minus tollere libertatem prædeterminationem per voluntatem Dei immediate prædeterminantem voluntatem hominis, quam per qualitatem præviam intrinsecam physice prædeterminantem. Illam enim prædeterminationem, quæ fingitur esse per immediatum influxum ipsius Dei, vocavi extrinsecam per solam Dei voluntatem efficacem, ut eam distinguerem ab alia prædeterminatione per qualitatem præviam intrinsecam, quæ sit proprius actus primus. Utramque autem hanc prædeterminationem distinximus a præfinitione æterna, quam dixi esse posse de actibus liberis, salva eorum libertate. Idemque dici posset de nomine prædeterminationis æternæ, sed propter tollendam æquivocationem vitavi verbum illud. Sic enim non significaretur prædeterminatio transiens, nec temporalis, sed immanens et æterna, atque ita idem esset quod prædestinatio vel præfinitio. Hic autem loquimur (ut dixi) de prædeterminatione transeunte et temporali; talis autem est, sive fiat per impressionem qualitatis præviæ physice prædeterminantis, sive per impressionem ipsius actus ab extrinseca voluntate Dei; ipse enim actus creatus, ut sic impressus a solo Deo, dicitur physica prædeterminatio. Duo ergo falsa mihi impo-

nuntur in his quæ in principio hujus capituli retuli. Unum est, quod dixerim non magis repugnare libertati physicam prædeterminationem quam prædeterminationem æternam, id est præfinitionem; nam potius, e contrario, dixi præfinitionem æternam non ita repugnare libertati, sicut prædeterminationem physicam. Aliud est quod locutus fuerim de præfinitione antecedente præscientiam mediam, id est, de futuris sub conditione, quod etiam falsum est; quia potius dixi ideo præfinitionem non esse contra libertatem, quia supponit illam præscientiam.

Sexta propositio, quæ ex omnibus præcedentibus concluditur, est doctrinam hanc de prædeterminatione physica, qualem explicavimus, non solum non videri nobis necessariam ad veram ac efficacem Dei gratiam defendendam, verum potius ad eum finem esse supervacaneam, et aliunde sufficientem gratiam evertere, libertatisque usum de medio tollere, ac proinde hæreticis hujus temporis favere; ideoque dignam esse ut per Ecclesiæ censuram damnetur, vel potius jam damnata declaretur. Nam, licet non sub ea voce, sub aliis æquivalentibus jam damnata est, ut quod gratia necessitatem inducat; necessitas enim et prædeterminatio ad unum idem sunt, tanquam definitio et definitum, ut dixi; item, quod gratia tollat libertatem, nam proinde est quod tollat indifferentiam, vel quod gratia præveniens ita moveat, ut ei non possit resisti; nam hoc ipsum faceret illa gratia efficax tali modo. Quæ omnia satis patent ex dictis, et in discursu totius Apologetici satis probata sunt, ubi alium modum efficacis gratiæ prævenientis declaravimus. Et ideo illa hic repetere vel plura addere non existimavimus necessarium.

APPENDIX ALTERA.

A. S. C.

DISSERTATIO

PRO FRANCISCO SUARE

DE GRATIA EGRO OPPRESSO COLLATA PER ABSOLUTIONEM A SACERDOTE PRESENTE IMPENSAM, PRÆVIA PECCATORUM EXPOSITIONE EPISTOLARI.

EXCEPTIO CONTRA EXCEPTIONEM.